

& prosternamus, ut alii qui inferiores sunt, nec
eius fraudes deprehendunt, facile effugere pos-
sint.

Principiò sciatis, eum nolle omnino agnoscere veram Trinitatem, qualem nobis Scriptura tradit, & in Baptismo Christi manifestata est, vbi Pater auditus in voce; Filius visus in carne, Spiritus in specie columbe: sed semper Trinitatem confusam unum Deum somniat, ad quem suum unum Deum, Scripturæ inauditum, Mediatorem statuit, hominem tantum Christum, quem & huius Dei Trinitatis filium, & ab illa missum nугatur, & ad illum intercedere pro nobis sinigt. Quòd si quis distinctè eum roget, an credat, Patrem verum esse Deum: an quoq; Filium esse verum Deum, de Deo vero genitum: tum quoq; Spiritum S. Deum, vbi tandem vera Trinitas ex distinctione aduersum eius confusionē emergit: clamat, nos Arianos & hæreticos esse. Quòd si ex eadē distinctione obiicimus, Filium Dei, Deum de Deo & verum hominem ex homine, esse Mediatoř ad Deum Patrem, duos Deos nobis obiicit, inquiens: *Vnus est Deus Trinitas: quòd si unus, Filius Dei, Deus non potest esse Mediator, quia essent duo Dii.* Oportet ergo, ut ad unum Deum Trinitatem, sit Mediator homo tantum Christus: aut una Pater cum Filio, & Spiritus S. unus Deus, Trinitas erit Mediator ad Propatora Valentini: vbi facile videre est, quòd Christum Dei Filium, atque ita Deum ex Deo, cum Iudæis penitus abnegat, & hominem tantum ad Trinomium Deum statuit, nomen Christi tantum in Trinitate relinquens, & extra Trinitatem, hominem Christum veluti alterum

ab

*Vbi distinc-
tio vera &
realis retinē-
da est, ut in
Trinitate,
Stancarus
nullā vult:
Vbi unitas
perpetua re-
tinenda, ut
in uno Chri-
sto, ille diui-
dit, aliū
Deum, aliū
hominem
patuens.*

